

do, nec non emicaret charitas: pastoralis certè sollicitudo praefulsit. Cùm etenim veritati et errori aequandis saeculi spiritu enixè adlaborante, eò dementiae recentiore tempore ventum esset, ut quae tantùm verae fidei ejusque professioni, ratione ipsâ duce, competunt libertas, et jura; eadem errori ejusque propagationi sancirentur: Praesul Noster ut mala hinc impendentia et fidelem populum cavènda moneret, et Episcopali auctoritate potenter propulsaret: quantâ sese pastorali sollicitudine gessit! Dumque ii, qui se ipsi Evangelicae praedicationis ministros venditantes, ad Queretarensis Dioecesis et Urbem introgressi; voceque et scriptis impiae novitatis monstra proponentes, magnaue jactantes, ad fidei evertendum imperium, quasi collatis signis propiùs accederent: quàm feliciter ille hostiles insidias patefecit, irritos reddidit conatus, impetum retardavit! Interea tamen haudquaquam laesâ charitate, quae scilicet ut praescribit: *Diligite homines*: id etiam praecipit: *Interficate errores*. Quae quidem ità facta, ut charitas non modò, sed urbani etiamnum moris ratio servaretur egregiè.

Quid verò de Pastoralibus litteris, quibus in perditorum hominum mores invehebatur? quid de iis, quibus patresfamilias ad filios christianis moribus informandos adhortabatur? quidve de illis, quas edidit illius exstirpandae causâ labis, quae haud infrequens, idque civili quadamtenus protegente sanctione, hodie contractibus irrepere solita? quidve de caeteris sapienter et opportunè in lucem editis litteris, quaeque pastoralis suae sollicitudinis praeclara fuère documenta? Quae adeo vel ex eo constat fuisse, quòd gravissimo aliorum Mexicanae gentis Episcoporum judicio fuerint comprobata: cùm eorum plurimi ad suum quisque gregem transmittenda, et suo

quoque nomine obsignanda curaverint. Ut verò sic non modò Ecclesiae suae, sed etiam universae Mexicanae genti Angelus constitutus videbatur!

Illud verò planè divinitus provisum. Etenim, jam diù erat, quòd catholicae Ecclesiae navis, crebrescente procellâ, ingravescens maris fluctibus jactata, insidiosis assentatoris hostis vocibus ad naufragium, pro humanâ, fallente sed enim, opinione, certissimum vocabatur. Etsi verò ingeminatis et insolitis mare agigaretur fluctibus: ea, divinâ spe immota, nec scopulis illidi, neve in profundum mergi; non à rectâ, quâ tendit, viâ dejici formidans, sed nec vel minimum deflectere: à Deo nimirum ipso sibi adfore, in finem usque saeculorum, et promissum firmiter sperabat, et coelitus immissum experta jugiter auxilium. Sed qui Ecclesiae universae adeo sapienter providet, ejusdem etiam membris, fidelibus populis, misericorditer prospicit. Ad Mexicanae igitur gentis bonum, divino provisum consilio, ut sicut olim, difficillimae cum exorirentur quaestiones, ad parvâe Hipponensis Dioecesis Episcopum, Augustinum omnes intenderent: sic etiam nunc ad Queretarensis Episcopum nostratum omnium converterentur oculi.

Quid verò de eo, quo Clericis scientiâ et virtute informandis, et verae sapientiae, caeteris ut, prout decet, praefulgerent, amore accendendis, divino prorsus zelo rapiebatur? Non ille siquidem aeris penuriâ, neve recenter erectae Ecclesiae innumeris prope difficultatibus deterritus: ea verò potius omnia prudentiâ, consilio, labore, oratione verò praecipuè, et, Deo se protegente, constantis animi fortitudine superans: illud, in quod omnia sua vòta collineabant, obtinuit: ut, Clericis scilicet praesertim efformandis; eorum sed etiam, quorum alii aliam vitae profes-

suri rationem, disciplinis sese informari cuperent, gressibus optimè dirigendis, Seminarium erigeret. Quod, cum et optimae institutionis ordine, et christianis moribus alumnos informandi studiosissimam et prudentissimam ratione fuerit adeo sapienter constitutum: praeclaram etiam apud exteros ab ipso suae erectionis momento existimationem adeptum; Queretarensem maximis Dioecesim beneficiis cumulaturum licet augurari.

Quid de iis, quae, corporis etsi viribus fractus, aequo semper et alacri pertulit animo, dum Dioecesis Visitationem suscepit? Illi etenim, quin sese itineri committeret, ut populos singulatim per seipsum inviseret, non infirma vel minimùm obstitit corporis valetudo. Non inclementia coeli; non horrescens nimbis, imbribusque effusis madidus aër; non aestus ac frigoris incerta lege ad invicem succedentium molestia; non viarum anfractus; non vel terrae praerupta, vel abrupta montium; non devia, non in via; non illum denique victus ipsius penuria, aut protegentis tecti carentia: ab iis, quae Apostolico zelo peragenda susceperat, deterruere. Itaque populorum in spiritualibus conditionem, sacerdotum vitam et mores per seipsum agnoscens, omnibus opportunè providebat. Quot verò et quanta coelestis sapientiae documenta, hanc tam feliciter datâ occasione, populis ex ipsius ore Pastoris promanare! quae memoriae fideliter ac reverenter commendata, et sanctè in praxim aemulanterque deducta: citra omne dubium est, maximo ipsorum bono et contulisse, et in perpetuum collatura.

Sed dum, corporis licet viribus fractus, at infractus animo, cuncta mala propulsando, bona cuncta promovendo aderat; incepta dum prospera prosperrimi consequantur exitus; cumque non sibi dispar, imò majori in dies

apud Deum et homines gloriam effulgeret: ecce, insperantibus cunctis, proh dolor! afflicta dudum gravescit valetudo; et quotquot ei invigilant assidue, omni prorsus labore, omnique animi ac virium contentione ei supersedendum dolentes conspiciantur.

Quo tristissimo jam impendentis calamitatis praenuntio illico pervulgato, quam omnium animis de tanto Viro anxia sollicitudo! quotque pro ejus salute ad Deum preces et vota! Quae, si Ille, qui vitae nostrae tempora praefinit, exaudiisset. . . . .! Sed, longius quae abesse credebatur nuper, festinat, instat, suprema accidit hora!

Quantus in tantâ Ecclesiae calamitate stupor illico! moeror quantus et gemitus, lachrymae, planctus, desolatio! Quanta in unius funere omnium rerum funera! quot ruinae! Cum Ecclesia Sponsum, filii Parentem, discipuli Magistrum; omnes denique miseri, orphani ante omnes, et viduae, sed praecipue virgines Deo sacratae Patrem, consolatorem, ac de sua tenuitate ipsis qui providè ac munificè largiri consueverat, ereptum ingemiscerent. Sacerdotes illo, qui cunctis passim occurrentibus difficultatibus enodandis; qui animos usque sibi ad praeliandum praelia Domini addere; etsi corpore absens, suae tamen sapientiae, prudentiae, fortitudinis auxilio, robore, lumine ubique, nuper adhuc, praesens aderat: subito se destitui dolerent. Omnes denique omnium ordinum cives Virum, qui affabilitate et modestiâ majestatem ac gravitatem temperabat; qui justitiae severitatem prudentiâ regebat; qui in nullo sibi indulgens, aliis naviter providere suum esse ducebat: illum demum, qui superioris aetatis maximis viris ita sit comparandus, ut vel futuris temporibus à sapientissimo quoque et meritissimo haud facile possit superari.

Sed proh dolor! heu moeror! illud unum superest: tantum Virum, desiderare; et tùm Ecclesiae publicam, quum privatam nostram calamitatem ingemiscere.

Ast fallor egregiè. Illud namque nostra maximè refert, cùm divinae largitatis munere tanto perfrui bono fuerit datum; Praesulis eximii virtutes, et sapientiam, benefacta, doctrinam, grati animi sensu usque recolere; et ad Dei ipsius gloriam in omnem posteritatem sempiternam memoriâ propagare! Illud verò praecipuum, ut, eo exemplari ante oculos proposito, omnigenae stimulus virtutis animis intuentium accendatur: quò ejus vestigia insequentibus mala propulsentur, bona confoveantur cuncta, roborentur, augeantur!

Eja ergo, Auditores charissimi, vosque praesertim optimam in Ecclesiae et Patriae spem adolescentes, nostri Praesulis decus et corona; qui, ex hoc, quòd hisce tum privatis, tum rebus publicis, calamitosis ac certè ex hominum memoria luctuosissimis temporibus, coelesti ejus sapientiae lumine vobis tamquam proprio bono, divinae largitatis singulari prorsus munere, perfrui datum fuerit: Deo dilectissimi facilè evincimini. Eòque vel lulentius, quòd cùm, illo jam etsi coelis reddito, Domini manus non fuerit abbreviata: filialis ad aerumnae levamen, validissimumque in adversis rebus praesidium, divinitus illi Successor dignissimus, nobis Parens et Pastor amantissimus felicissimè advenerit. Quorum, si coelesti refertis sapientiâ documentis sedulò intendentes, Ei qui *via est, et veritas et vita*, intimo praecordium affectu jugiter inhaeamus, nihil unquam formidandum: etsi hujus saeculi fluctibus in immensum succrescentibus, saeviori et in dies furente procellâ, omnia susque deque permixta; ipsius civilis societatis bases concuti, ac

poene nutantes; ipsique mundo ruina impendere videatur. Quandoquidem navis, cujus Deus ipse gubernacula dirigit, fluctuum cumulos feliciter superans, ad optatissimum tandem portum salvos et incolumes referet. Cùmque jam dabitur fidâ patrio in littore statione potiri, illud etiam perpetuò ingeminare: *Laetati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala* (1).

Te, igitur, Omnipotens Deus, cujus *superexaltat misericordia judicium* (2); etsi pro magnis ad Tui nominis gloriam laboribus susceptis Antistitem nostrum magnâ, quâ pollicitus es, à Te gloriâ donatum piissimè confidimus: attamen, cum judicia Tua abyssus multa sint, et inscrutabiles viae Tuae; suppliciter deprecamur, ut, si quid illi adhuc justitiae Tuae luendum superest, misericorditer condonare digneris; ut ille in eâ indeficientis luminis regione constitutus, in lumine tuo videat lumen, immarcescibilem decoris coronam accipiat, et in eâ, quae omnem sensum exsuperat, AETERNA PACE REQUIESCAT.

(1) Ps. LXXXIX, vers. 15.

(2) Jac. II, vers. 13.